

qui nobis Granciporri vocantur, Paguri vulgò appellant. E Paguris in cavernis extincti oriri scorpiones testis est Nicander. Sed ad CANCELLOS redeo, nomine ipso parvulos cancras designantes, de quibus scripsit Galenus libro tertio de alimen-

C A N C E L L I.



10

20

torum facultatibus: Cancelli, inquit, animalcula sunt perexiguus cancris similia, colore flavo. Afferuntur enim cancelli inter minutulos pisciculos duplici sane genere, ut quarto tum libro, tum capite de animalium historia retulit Aristoteles, his verbis: Quem autem cancellum appellant, communis ferè socius crustatorum, & testatorum generum est: quippe qui natura locustis similis spectetur, nasci, seorsum per se solitus sit. Verum quod testam deinde petit, quam ingressus vitam eraducat, hinc similis testa contestis animantibus est, quapropter is in ancipiti esse, genus, sibi vendicare utrumque videtur. Forma tamen (quod simplicius dixerim) similis araneis est, nisi quod partem capiti, & pectori subdant, ampliorem quam aranei habeat. Cornicula duo rufa, tenuia gerit, quibus oculi magni totidem subjacent, qui nunquam intro recedant, ut cancrorum, sed semper eminentes appareant. Os sub iis est, quod velut capillamentis quibusdam pluribus circumdatur. Iis pedes subiacenti duo bifurci, quibus cibum ori admoveat: bini item utriusque, adhaerent lateri, & tertius parvus. Thoracis pars inferior mollis tota est, disjuncta, sinu pallidum intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit: foramen excrementi perspicere nullum potest. Pedes, ac thorax duritiem præ se ferunt, sed minus quam cancri. Nexu nullo testis adhaeret, purpurarum modo, & buccinarum, sed absolutus liberque vagatur. Oblongior est, qui turbinem subit, quam qui neritem, (quem naticem interpretamur) genus enim diversum est, quod in naticis degit, cetera quidem non absimile: sed dextrum bifurcatum pedem parvum habens: cum laevum grandiusculum habeat, & ingredi eodem ipso grandiore potissimum solet: hæc Aristoteles. Aelianus verò lib. 7. cap. 31. de cancellis ita scribit: A conchis quidem inopes, & nudi primum cancelli nascuntur, deinde eas tanquam domicilia ad habitandum deligunt. Cum enim vacuas, & inanes offenderunt conchulas, purpura, aut turbinis, primò intra eas ingrediuntur: deinde cum in ampliorem magnitudinem excreverunt, quam iis ut capi queant, in testam laxiorem tanquam domum alteram demigrant, neque modò in supra dictorum conchas immigrant, sed & in permultas alias capaciores transeunt, & ampliorem nacti ea tanquam majore domicilio gaudent: ac sæpe de spoliis multo certamine inter se contendunt, viribusque inferiore repulso, victor exuvias assequitur: hæc Aelianus. Cui in omnibus subscribit Plinius lib. 9. cap. 31. & 42. His igitur diligenter perspectis, omnibus, ut arbitror, palam fiet, & cancras & cancellos à squillis differre. Animal, quod nescimus Græcè, Cancræ Latine appellatur: Arabicè Sartham, seu Sarthan: Italicè Granchio: Hispanicè Cangreio: Gallicè Cancres.

Cancelli
lori hi-
storia.Cancelli
ingredi-
untur co-
chulas.

Σcorpιου χιρκαίου.

SCORPIO TERRESTRIS.

CAP. XI.

50 T Errestris Scorpio tritus crudus, & impositus, suæ plagæ remedium est: quin estur assatus, ad eadem.



60

1

Terrestres

interempti. Proinde existimarunt nonnulli, ictuum similitudine falsi, inter Scorpenam, & marinum scorpionem nullum prorsus interesse discrimen. Atqui Scorpio spinas quoque, in capite habet, quae praedictis non sunt minus venenosae. Ceterum Scorpio, & SCORPENA (ut equidem arbitror) ejusdem fere generis sunt, sed in specie & forma pulpaque, praestantia (ut Athenaeus est auctor) inter se pluribus differunt. Siquidem Scorpius pelagius piscibus est, scorpenam longe major; adeo ut octonas novenasque, quandoque, ponderet libras. Scorpina vero piscis est litoralis, scorpione multo minor. Scorpius item universo corpore rubet; cornua bina in capite gerit, sed mollia: & acutos in ore dentes, minutulos tamen: Pinnis constat aculeatis,

S C O R P E N A.



tam his, quae per medium excurrunt dorsum; quam his, quae anteriore, & posteriore parte gerit, sed istantum aculeis igit, qui dorso annectuntur: quorum tamen vis his, qui scorpina insunt, imbecillior est. Hunc sunt, qui vulgo vocent Pesce cap-
 30 pone, sed in Hetruria maritima quibusdam locis vocatur Cerna. SCORPENA autem, quae suum apud omnes retinet no-
 men, dentes adeo acutos non habet: gerit tamen in dorso aculeos scorpii modo, sed eminentiores, ac duriores, nec usque, adeo
 pinnatos: in ceteris vero pinnis omnino caret, praterquam circa branchias, ubi duos praelongos habet aculeos, & non-
 nullos circa caput: corpore est in nigro virescente. Sunt tamen, qui indifferenter scorpium scorpenam vocent. Vinum in
 quo Marinus Scorpio necatus fuerit, haustum, jecinoris doloribus medetur. Nec minus ad id quoque, valere dicunt lapidem
 in ejus capite inventum, oboli pondere sumptum. Ceterum Scorpii marini felle ex lana supposito, secundas & menses eli-
 ci certum est: quin etiam eodem incipientes suffusiones oculorum, & albugines tolli, ex melle oleoque, illito, intermissis die-
 bus. Ad haec trimum Scorpinarum parvarum usturum cinis epotus, calculos exterit. *Σκορπίος* & *βαλάνος*, & Græcè: Scorpio ma-
 rinus Latine: Italicè Pesce cappone & Scrofano dicitur: Scorpina autem Scrofanello.

Scorpene
consider.

Nomina.

Δρακὼν θαλάσσιος.

DRACO MARINUS.

CAP. XIV.

40 DRACO marinus dissectus, & apertus impositusque, spinæ suæ ictus qua ferit, medela est.

DRACO MARINUS.



60 VARIAT auctorum sententia in marini Draconis historia. Quandoquidem Alberto marinus draco ingens est bestia, ser-
 pentis faciem referens, alii non amplioribus, quam quæ ad natandum sufficiant, sed ob virium praestantiam omni-
 um aquatiliū velocissimus censetur: quapropter brevi admodum tempore ingentia metitur maria. Quin & venenosum
 est illi animal, adeo ut quoscunque, pisces, vel alia quaecunque, animalia dente vulneraverit, interimat. Piscatorum praterea
 artificio captus, statim ut in arenam sese protrahi cernit, mira celeritate scrobem in litore fodit, qua se condere possit: hæc
 Albertus. Qui etsi ex Aristotele, & Plinio (ut opinor) transcribat, plura tamen addere videtur, quibus an multa sit adhi-
 benda fides, quid statuiam non habeo. Siquidem hoc animal Aristoteli tanta admiratione non præstat, nec draco appellatur,
 sed

Draconis
marini
consider.

Serpen-
tis mari-
nae, hist.
ex Aristotele.

sed serpens, ut is posteritati memoria commendavit libro 9. cap. 37. de historia animalium his verbis. SERPENS MARINA colore, & corpore Congro proxima est, sed obscurior, atq; acrior: hac si capta dimittatur foris, in arenam rostro

SERPENS MARINA.



Draconis
marini
historia
ex Ari-
stotele.

quàm primùm adactò terebrat, subitq; tota. Est ore acutiore hac, quàm terrestres. Et lib. 2. cap. 14. Sunt etiam (inquit) maris indigenae serpentes terrestribus similes: nisi quòd caput habeant congrui. Et quidem genera earum plura sunt, colore numerosa varietatis. Nasci eas non in altissimis gurgitibus certum est. De marino autem Dracone scribens libro octavo, cap. decimo tertio, de hist. anim. Draco marinus, inquit, piscis est litoralis quemadmodum dentex, scarabeus, cernua, aurata, mugil, nullus, turdus, pulcher, gobius, atq; alii complures, & omne saxatile genus. Meminit quoq; de eo Plinius libro trigésimo secundo cap. septimo, sic inquit: Extra has sunt rotunda in oleario usu cochlea, cucumis, cynopus, cammarus, cynosdesia, draco, quidam volunt esse dracunculum. Est autem graculo similis, aculeos in branchiis habet ad caudam spectantes. Huic sanè non parum correspondere videtur, quem Veneti Piscatores, quin etiam Tergestini, & Aquileienses vocant pesce Ragno, Itali verò Trascina. Quippe qui inter litorales, aculeos circum branchias habeat caudam versu spectantes, & alios in dorso aded venenatos, ut ab eo icti, nisi curam admiserint diligentem, vel doloribus intensissimis crucientur, vel moriantur. Itaq; & is videtur Plinio fuisse Draco, quem lib. 9. cap. 48. ipse araneum quoq; vocavit: cum inquit: Atq; pestiferum animal Araneus, spina in dorso aculeo noxius: praesertim cum lib. 32. cap. ultimo, inter litorales pisces, & mari magis peculiare, non aliter araneum recensere videatur, quam draconem Aristoteles. Caterum in libro nono, cap. 27. Serpentem marinam, de qua superius ex Aristotele diximus, draconem quoq; vocat, & utriusq; historiam errore manifesto confundit, sic inquit: Rursus draco marinus captus, atq; immisus in arena, cavernam sibi rostro mira celeritate excavat. Id quod Aristoteli marini draconis non est, sed marinae serpentis. Quibus apertissimè constat, Plinium aut negligenter hoc in loco Aristotelem legisse, aut ejus lectionem haud rectè intellexisse. Nec sanè quispiam Plinium excusabit, qui dixerit draconem marinum in arenam immisum, perinde ac serpens illa, rostro sibi cavernam fodere, quandoquidem cum nullo rostri mucrone sit institutus (ut rectè vir doctissimus Salviatus inquit) sed obtuso quidem ore habeatur, nulla prorsus consentit ratio, ut cavernam in arena sibi tam facile excavare queat. Itaq; Matthiolus non tam leviter Rondeletio subscribit, qui hoc Plinii erratum haud animadvertens, praterea, inquit, quod de Dracone scripsit Plinius, id in araneo nostro (araneus illi Draco marinus est) quivis experietur, qui piscium captura interesse voluerit. Captum enim araneum arena semper se obvolvunt cerner. Atqui aliud, mea quidem sententia, designat Plinio, rostro in arenam immisso cavernam sibi mira celeritate excavare draconem: aliud verò Rondeletio, in arena se obvolvere, ut fere ceteri faciunt pisces, qui vivi è retibus in litus à piscatoribus devolvuntur. Quare non absq; injuria in Matthiolum invehitur (illum tamen non nominat) cum dicit absurdam esse illius opinionem, qui in Dioscoridem commentaria scripsit, quòd scribat is non eundem esse Plinii, & Dioscoridis marinum Draconem. Sed hanc injuriam is resellendam, imò potius agere ferendam relinquo, qui hoc loco Rondeletii viri alioqui doctissimi negligentiam in examinanda Plinii lectione facile cognoscent. Non video sanè, quo pacto Draconem lib. 9. cap. 27. à Plinio descriptum facere legitime possit Rondeletius à Dioscoridis Dracone minimè differentem, cum ibi nil aliud describat Plinius, quàm serpentem marinam Aristotelis. Ceterum marinae serpentis imaginem, primus (quod viderim legerimq;) ad amussim delineatam edidit Hippolytus Salviatus, medicus doctissimus, in pulcherrimo suo de piscibus volumine, unde nos hanc, quàm pinximus, accepimus: *ὁ δράκων* Græcè: Italicè, Trascina: Gallicè Vive dicitur.

Ronde-
letio non
subscri-
bendum.

Σκολοπένδρα.

SCOLOPENDRA.

CAP. XIV.

SCOLOPENDRA marina in oleo decocta si illinatur, avellit capillos: sed contactu pruritus facit.

Scolopendra
con-
sideratio.

Scolopendra marina animal est non magnum. Scribit de ea Aristoteles lib. secundo cap. 14. sic inquit. Marina Scolopendra terrenis similes sunt, magnitudine tamen paulò inferiores: gignuntur in saxosis locis: colore magis rubro, pedum numero terrestres superant, sed cruribus sunt gracilioribus. Serpentum more non altis gurgitibus nascuntur. Hac ille. Quibus haud parum adstipulari videntur, quæ à Rondeletio in suo de piscibus libro pinguntur: ac etiam à nobis quoq; ex illius codice hic translatae sunt, vermium terrestrium figura. & numerosis, tenuibusq; utring, pedibus stipatae. Verum ab his longè differt marina Scolopendra, quam mihi dono dedit Constantinopoli allatam Clarissimus Augerius de Buebecke, qui superioribus annis apud Turcarum Imperatorem pro Cesare Ferdinando oratorem egit. Hanc ego legitime esse marinam Scolopendram censeo, ideoq; eam hic excudi volui, ut aliorum quoq; sit judicium. Aristoteles lib. 9. cap. trigésimo septimo de historia animal. Quæ autem, inquit, centipeda appellatur, ubi hamum devoraverit, evomit foras sua interiora, donec hamum rejiciat, non recipit intro. Id quod etiam scribit Plinius libro nono cap. quadragesimo tertio. Sed hæc fieri

SCOLOPENDRA.



SCOLOPENDRA MARINA, RONDELETII.




vi in tam exiguo animali, quod pro marina Scolopendra pingit Rondeletius, vix credibile videtur. cum tam exiguo sit ore, & angusto, ut hamum quantumvis tenuem deglutire nequeat. Quo fit, ut omnino adducatur, ad credendum, nostram hanc legitimam veramq; esse Scolopendram: id enim adeo manifestum facit universa ejus effigies, ut omni prorsus iudicio eum carere putem, qui aliter senserit.

Νάγκυα.

TORPEDO.

CAP. XV.

50 Marina Torpedo diuturnis capitis doloribus admota, cruciatus vehementiam mulcet: eadem appo-
sita everfam sedem, prociduumq; coerces.



T 1

Torpedo

Torpedi-
nis confi-
deratio.

Torpedo in cartilagineorum planorumq; piscium genere ab auctoribus recensetur, perinde ac raia, laviraia, rhombus, solea, pastinaca. & alia id genus plura. Corporis facies si caudam abscideris, orbicularis fuerit. Caput adeo inter scapulas contractum est, ut ipsius nullum vestigium appareat: Oculos tamen habet anterieus superiori parte, sed exiguos, & circa hos paulo foramina duo semicirculi effigie, quae perpetuo reclusa spectantur. Os habet supina parte haud amplum, minutis intus dentibus. Lingua illi nulla, os praecedunt foramina duo, quae olfactum gratia nata videntur. Eadem in parte, (ut ait author est Aristoteles libro secundo cap. decimotertio de hist. anim.) Branchias utring, quas habet sed exiguas & arcuatas. Excrementorum meatus ima corporis parte suum habet locum: prope caudae exortum, quae illi brevis est sed carinosa, & in latam defluens pinnam. In cauda dorso duas quoq; pinnas habet, sed prior altera major, quin etiam ad caudae ipsius exortum binas gerit, utring, una, latiores semicircularesq;, de quibus tantum libro quarto, cap. decimotertio de partibus animalium, meminit Aristoteles, ceteris silentio praeteritis. Atqui haud recte eodem in loco eundem de Torpedinis cauda scripsisse iudico, cum Torpedini non secus ac Pastinacae, ceterisq; cartilagineis, longam spinosam, rigidamve caudam tribuat. Corpus totum molli ac laevi cute contegit. Supina parte albicat, sed prona flavescit, vinoso ferè colore. Dorso non omnibus eadem facies: siquidem aliquibus quinq; sunt in dorso macula nigra orbicularesq;, oculorum ferè effigie, pentagonig, figura dispositae. Unde illi nomen, Romanis occhiatella: Alii eadem ferè visuntur macula, sed non ut in primo genere nigra. Sunt enim circuli versicoloribus pictae, nota quadam in medio existente, quae oculi pupillam quadam tenus refert. Nonnullis haec macula desunt, sed minores, minutiores ac numerose in toto dorso dispersae spectantur. Quibusdam verò nulla prorsus apparent, dorso tantum flavescente. Ceterum, etsi praescriptis notis Torpedines diverso esse genere videantur, non tamen in his variat torporis inducendi facultas: namq; omnibus eadem est. Torpedo vivum parit animal ovis prius intra se genitis, ut cetera ferè cartilaginea, & adeo prolifica est, ut scripserit Aristoteles, Torpedinem visam esse grandem,

Torpedi-
nis mira
facultas.

Torpedi-
nis vires
ex Gal.

Nomina.

[illegible]

Plinii
lapsus.

Eⁿgland.

VIPERA.

CAP. XVI.

Viperinæ carnes si coctæ edantur, claritatem oculis afferunt: nervorum vitiis auxiliantur: increscentes strumas reprimunt. Detracta autem cute, caput caudæq; quoniam carne vacat, amputari debent: quippe a commentitium est quod præcipitur, certam utriusq; mensuram præcidi oportere. Reliquum verò corpus exemplis interaneis, elorum dissecumq; discoquitur cum oleo, vino, salis exiguo, & anetho. A junt iis, qui viperas esitent, pediculos procreari, quod planè a veritate abhorret. Adjiciunt aliqui longam fenestrem agere, qui eo cibo vescuntur. Sal ex eis ad eadem conficitur, sed inefficacior est. Viva autem vipera in fictile novum demittitur, adjiciuntur salis, caricarumq; tritarum, singulatim quinque sextarii, mellis cyathi sex, mox fictilis operculum luto oblitur, & fornacibus inasatur, donec sal in carbones redigatur, qui postea tritus in pulveris faciem reconditur. Plerumq; ut ori gratior fiat, immiscetur b spica, aut folium nardi, aut malabathri momentum.

Iam pridem ceptum est veras Viperas nancisci in Italia. Earum enim partus eas indicantur: quandoquidem recentiorum medicorum quidam Viperas summo studio indagantes, ut Galeni more, hoc etiam avo legitimam possent parare theriacam, inito consilio cum his circumforaneis, qui serpentibus alendis quasum faciunt. Viperas ipsas pregnantes sunt consecuti, quæ in capsulis conclusa catulos peperere, quod proprium Viperarum sit animal edere, non quidem ova ceterorum serpentium more. Nec tamen propterea illud verum esse compertum est, quod nascentes Vipera viscera abrodant, occisa parente, ut libro de theriaca ad Pisonem prodidit Galenus (si tamen is liber legitimus est) ex Nicandri auctoritate, & Plinius lib. 10. cap. 62. qui Aristotelis verba perperam interpretari deprehenditur, à quo vipera historiam ipsum accepisse liquido constat. Cujus sententiam non tantum explodit, quod experimento compertum est, sed & Aristoteles ipse: quandoquidem nunquam dixerit, viperinos fatus parentis viscera, aut uterum abrodere, sed quod qui tardius eduntur catuli (tardius enim ideo illi excluduntur, quod vipera singulos singulis diebus parit) abrodunt membranâ quandam, qua in matris utero obvol-

VIPERA.



ro obvolvuntur ut citius prodeant in lucem. Quia in re, ut hoc omnibus palam sit, sic lib. 5. de historia animalium capite ul-
timo sonant Aristotelis verba, τὰ δὲ ὄντια ἀπὸ τοῦ σκοτεινοῦ ἐκ αὐτοῦ φέρονται εἰς τὴν ᾗδιαν καὶ τὴν οὐρανίαν. τοῖς δὲ ἀπὸ τῆς γῆρας μεταχρησίσθαι
ἐπεὶ ἡμεῖς ἐκ τῆς γῆρας ἀναγόμεθα εἰς τὴν οὐρανίαν καὶ τὴν οὐρανίαν. καὶ τὸ ἀπὸ τῆς γῆρας ἀναγόμεθα εἰς τὴν οὐρανίαν καὶ τὴν οὐρανίαν.

Viperarū
partes ex
Aristoteli

30 Vipera e serpentibus animal edit, cum intra se primum ova pepererit. Ovum hoc unius coloris, & molli cute contextum, ut piscium est. Fœtus supernè gignitur, nec duro cortice continetur, sicut nec piscium quidem. Parvi parvas viperulas membranis obvolutas, quæ tertia die rumpuntur. Evenit interdum, ut qui in utero sunt, abrosis membranis prorumpant. Singulos diebus singuli parit, pluresq; parit quam viginti: hæc Aristoteles. Cujus sententiam (ut dictum est) pervertens Plinius, ubi ei dicendum fuerat, quod ultima viperula adhuc in matris utero degentes, sua abrodant involutra, anteaquam prorumpant, dixit ceteras tarditatis impatientes, perrumpere latera, occisa parente. Porro huic explosæ sententiæ etiam Philostratus refragatur: nam in vita Apollonii Tyanei narrat, Apollonium ipsum vivam, ac incolumem vidisse Vipera[m], quæ suos catulos novissimè exclusos lingebat. Marci præterea, qui serpentium domitores se prædicant quig, falsò ex D. Pauli profapia se originem duxisse gloriantur, Vipera[m] Marasso vulgò appellant, utq; majorem cum spectatorib; in-
eant gratiam, sapissimè viperinos dentes, longos, acuminatos, atq; mortiferos ostentant, conditos (ut Plin. inquit l. i. c. 37.)
gingivis, atq; membranula quadam circumdatos, lethali veneno refertos. Quin & viperarum nuper editos fœtus ostendunt,
quos vipera suis alunt in capsulis, quib; eas deferunt: nec tamen illi matris viscera scindunt. Ceterum quod vipera primum
intra se ova pariant, mox animalia gignant, Theophrastus quoq; auctor est libro 7. c. 14. contra eos qui secus sentiunt. Vi-
pera (ut scribit Avicenna libro quarto, ubi de venenis agit) caput habent pressum, latumq; ubi cervicis annectitur quæ pe-
culiariter illis tenuis est, nec corpore admodum sunt longo, ut pore nec canda. Ad hæc Galenus, cum scriptis tradere veller,
quibus notis mares vipera & fœminis distent, eo libro, qui de theriaca ad Pisonem inscribitur, sic inquit: Vipera fœmina sub-
russa sunt, & perquam agiles, cervicis elata: oculis subrabentibus, invetecundis, atq; intuius feri: in caput latius, quàm
mari, quem etiam excedunt universali corporis mole, earumq; excernens meatus suum propius caudam obtinet situm,
Mari duo tantum insunt canini dentes, fœmina verò plures. Proinde igitur Nicander cecinit his versibus.

Τὸ δὲ μὲν ὑπὸ κοινοῦ διὰ ἧτοι καὶ ἀντιφύεται,
ἴσα ἰσχυρὰν, πλὴν δὲ τὰ αὐτὰ ἰσχύει.

Hoc est soluta oratione.

Masculi quidem supra canini dentes duo colore notantur, venenum eructantes: at plures semper semina insunt. Illud in
 super addiderim: Aristotelem memoria mandasse lib. 8. cap. 15. de historia animalium, quod licet hzeme ceteri serpentes
 cavernas subeant terra, viperam tamen sub saxo condantur. Ex quo palam est, Plinium hoc etiam loco non recte intellexis-
 se Aristotelem: quippe quod tradiderit lib. 8. cap. 39. Viperam solam terra condi, ceteras arborum, aut saxorum cavis. Illud
 item retinuit Aristoteles, quod Plinius poetas secutus retulit, seminam scilicet in coitu mari caput abrodere voluptatis dul-
 cedine. Sed ut jam viperis vires suas, ac facultates reddamus, hic ea nunc referam, quae de eis lib. 2. simplicium medicamen-
 torum, tum libri de antidotis pluribus posterioris memoria prodidit Galenus. Viperarum igitur carnes palam videre est
 exalfacientes, & desiccantes ubi condiantur ceu anguilla, nempe oleo, sale, anetho, porro & aqua, servato nimirum mo-
 do. Quod autem totum corpus per cutim purgent, discere tibi liceat vel ex eis, quae ego juvenis etiamnum in Asia nostra sum
 expertus: quae singulatim deinceps narrabo. Homo quidam morbo, quem elephantia cognominant, laborans, aliquousq;
 cum sodalibus conversabatur, donec ex ipsius consuetudine conversationeq; quidam nostrum morbi insicerentur contagio-
 ne: ille jam graveolens erat, ac deformis. Constructo igitur illi tugurio proxime vicum, in iugo collis propter fontem, illic
 hominem collocant, tantum illi quotidie ciborum ferentes, quantum victui suppetere. Ceterum ad cauis exortum, cum
 forte messoribus haud procul inde merentibus vinum esset allatum in fictili sane quam fragrans, is quidem, qui attulerat,
 deposito illo propè messores, abijt. Verum ubi ejus bibendi advenisset tempus, sublato fictili adolescens, ut pro viore sim-
 plecto cratere, competente aqua vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & una excidit viperam mortua. Quare attoniti
 messores: veriti ne quod, si ebibissent, inde sibi malam eveniret, suam quidem sitim aqua potione sedare maluerunt. Ceterum
 cum illinc discederent, quasi praehumanitate ac misericordia homini illi elephantia obnoxio vinum largiuntur, vati expedi-
 re illi potius mori, quam vivere in ea miseria. At ille, ubi ex hoc bibisset, admirabili quodam modo sanitati restitutus est: nā
 tuberosum illud omne cutis totius non aliter, quam animalium a festu mollitie nuncupatorum malacostracwn tegmen de-
 cidit. Quantum autem reliquum erat, molle admodum apparuit: instar cutis cancrorum & locustarum (carabos Graci vo-
 cant) ubi extrema testa exciderit. Alterum quoq; ejusmodi non dissimili casu in Mysia, Asia, non procul ab urbe nostra acci-
 dit. Vir quidam, elephantio laborans profectus est ad aquarum calidarum sponte nascentium usum, sperans inde nonnihil se
 commodi adepturum: erat illi scortum, ancilla juvencula, sanè formosa, complurib; amatorib; ambita. Profectis igitur illis,

٤٤

снм адуи

cum aquis uteretur, in edibus, quibus vicinus erat locus squalidus, & viperarum plenus, forte fortuna ex illis una in urce-
um vini incidit negligentius positum, extinctaq; est. Ac scortum quidem in luctu id reputans quod fors evenisset, hero id vi-
ni propinat. Ceterum ille, ubi ebibisset, ad eum modum, quo ille, qui degebat in tugurio, persanatus est: hac Galenus. Qui
et si alia è viperis experimenta ibide scripserit, unde similiter alii incolumes evasere, ut ejus firmior redderetur ratio, quod
scilicet viperarum esu elephantiaci sanentur, ait amen brevitati consulentes, ea hoc loco silentio involvenda duximus. Ve-
rum enim vero nil mirum alicui fuerit, Viperas ambas, quarum meminit Galenus, se tam facile immerfisse vino: siquidem
illius natura comparatum est, ut vino summo opere delectentur. Quamobrem narrat Aristoteles libr. 8. cap. 4. de historia ani-
malium, quod ideo viperas aliqui vino cum fittilibus ad sepes disposito venantur, quia vini incontinentes sunt: ebria enim
capiuntur. Id quod etiam dixit Dioscorides in sexti libri prefatione de venenis, venenatusq; agens. Quin etiam vipera (ut
ad Pisonem scribit Galenus) buprestes & cantharides devorant. Item Aristotelis testimonio libr. 8. cap. 29. de historia ani-
malium, scorpionum devorari à vipera certum est: ob idq; (ut idem est auctor) eorum venenatorum morsu graves sunt,
qua aliis animalibus venenatis vescuntur: quod profecto faciunt vipera. Haetheriacen ingrediuntur: at non omnes, nec
omni tempore captae probantur. Proinde Galenus libro primo de antidotis rem hanc scire & aperire declaravit, sic inquit:
Viperas non ut aliqui faciunt, estate media, neq; statim, ubi cavernas egressae fuerint: astate siquidem earum caro sitim ex-
citatur, statimq; ab egressu frigida est, sicca & extenuata. Optimum itaq; tempus est, quod in medium intercedit, quod &
Andromachus ipse significavit, quo tempore & qui Baccho sacra faciunt, viperas dilacerare solent, vere quidem finiente,
nondum tamen astate inchoata. Vel si ver ad magnam sui partem hyemale fuerit, circa principium aestatis, non multo
tempore post pleiadum ortum. Viperas autem quae praegnant sunt, rejicere oportet, aliarum vero caput, ac caudam ab-
scindere: nam praeterquam quod haec particula virulentiores esse videantur, etiam dura & parum carnis habent. Sufficit
autem in magnis viperis, id quod utring, amputatur, quatuor digitos equare. Totum verò reliquum corpus, intestinis ex-
emptis, pelleq; detracta, aquis primo abluendum, atq; in vas fictile conjiciendum est: deinde aqua pura superinfusa viridiq;
anetho (tunc enim viget) olla prunas ut coquatur subicere convenit: vel arida ligna, quae, quod fumum non emittant,
anaetha vocant: vel quod melius adhuc est, vitium sarmenta. Salis autem, siquidem suo tempore viperas ceperis, tantillum
immittere oportet: sin astate jam incipiente, nihil. Porro observandum est, ne illae capiantur, quae in maritimis locis, quaeve
in aliqua falsa aquarum lacuna degunt, antidotus enim quae ex huiusmodi viperis confecta fuerit, sitim excitabit. Cum
igitur Vipera probe cocta fuerit, ac si quis comedere vellet, eas ex aqua eximere oportet, deinde carnes ita à spinis avelle-
re, ut nihil ex spinis simul auferatur: atq; huic exquisitè contritis, panis ex purissima farina optimeq; confecti, qui praecipue
& bene fermentatus sit, & in furno, non sub clibano coctus, modicum quiddam admiscere. Nonnulli tamen in commiscen-
do panem viperis hanc mensuram servandam praecipunt, ut panis pondus viperinarum carnum dimidio minus sit: alii ne
tertiam partem excedat malunt: ego vero quandoq; quartam, quandoq; & quintam panis imposui. Ceterum nisi probe
coctus fuerit, periculum est, ne aliquid aciditatis medicamentum contrahat. At satius est, panem hunc ita coctum per ali-
quot dies loco aliquo sicciori prius exiccasse. Verum cum viperas & panem conjunxeris, diligenterq; adeo subegeris, ut nul-
la viperina carnis particula non contusa remanserit, pastillos ex ea massa conficito, qui tenues sint: nam crassi cum diffi-
culter siccescere soleant, & carnem putrere, & panem acescere sinunt. Quamobrem panem quoq; ante siccatum terere
melius est, & non, quemadmodum ante nos qui Caesaris theriacam faciebant, viperarum jure maceratum: id quod ipse quoq;
dixi feci, sed mihi postea melius esse visum est, panem antea contritum viperarum carnis exaetè jam subactis admiscere:
citius namq; pastilli siccantur, qui siccum panem, non madidum acceperint. Sit autem cella, in qua pastillos siccabis in su-
periori domus parte ad meridiem conversa, vel saltem ad septentrionem non respiciat, ut solis radios tota penè die admittat:
tali enim in loco commodè siccescunt. Statim ubi fuerint conformati, ea parte collocentur, qua solares radii pervenire non
possint. Frequenter autem ipsos convertere opus erit, ut aequaliter utraq; ex parte siccescant: quod facere si quis omiserit,
superior quidem pars celeriter arefcet, inferior autem humida diutius permanebit, periculumq; erit ne marcescant. Postea
verò quam exiccati fuerint, maneant adhuc aliquot diebus eadem in cella longius, quam prius à solis radiis, sepeq; denuo
convertantur. Sufficiant autem ad hac omnia quindecim dies ad summum, post quod tempus donec theriacam conficere
volueris, recondi debent in vase stanneo aut vitreo, aut etiam aureo. Vitrum siquidem, & aurum nullam fraudem admit-
tit: stannum autem plumbi mistura adulteratur, quod vitare convenit, non solum in hac, sed & in quibuscunq; aliis an-
tidotis: quemadmodum & argentum, si purum non fuerit: vasa namq; ex eo fabricata celerimè rubiginem contrahunt,
purum autem argentum, Romani candidum vocant. Ceterum longe melius est, haud multo post, quam pastillos confeceris,
ipsis uti: quanquam non multum detrimenti capiunt, etiam si peracto anno, atq; etiam multo post, eis utaris. Rectè namq;
a principio siccati, ad tertium quartumq; annum integri perseverant, dummodo tamen apertè reponantur, & subinde pul-
visculus quidam, qui ipsis obnasci consuevit, mundu linteis interdum abstergatur. Is namq; si diutius inhaereat, pastillos
perforabit. Perspicuum est autem eos inutiles evadere, qui perforati fuerint, quemadmodum antequam hoc ipsis accideret,
etiam si multum tempus intercesserit, utiles permanent. Hac Galenus de conficiendi pastillos viperarum ratione, quod optimi &
praestantissimi habeantur. Ceterum illud Dioscoridi ridiculum videtur, quod qui viperas escent, pediculos procreent. Cui
tamen reclamatur Galenus libr. 11. simplicium medicamentorum, ubi id certo is evenire asserit, quibus plurimum mali succi
in corpore exuperat. Narrat Plinius libr. 30. c. 3. quod Antonius Musa Caesaris Augusti medicus cum incidisset insanabilia
ulcera, viperas edendas dabat, miraq; celeritate persanabat. Quare non demirabor Cardanum viperarum carnes mirum
in modum pratulisse ad eos persanandos, qui tabe afficiuntur, & pulmonum ulceribus laborant. Namq; quodam in consi-
lio ad Joannem Scotum Archiepiscopum S. Andreae ita de eis scribit: Dicam tibi secretum maximum, liberans à tabe, elephā-
tiasi, & morbo Indico, atq; praeter omnium spem, impiguit, & sanat etiā deploratos. Sumfito itaq; Vipera illam rubram,
crassam & brevem, quam Itali appellant Milort, & abscisis capite, & cauda, detractoq; corio, & exemptis intestinis, &
pinguedine per se asservata, viperam ipsam dissecato plures in partes anguillarum modo: coquitoq; deinde in aqua
cum belzoino & sale, additis etiam paulo post petroselinis vulgaris foliis: cum autem excocta fuerit, jus linteolo percola-
to, ac ex eo gallinaceum pullum juveniculum coquito, ac panem subinde ipso jure maceratum, cum pulli carnis edendū
prabero: & interim cum asservata pinguedine dorso spinam, ceterorum membrorum articulos, & pulsantes manuum
pedumq; arterias, quin & pectus ipsum inungito. Interim verò in vaporario calido maneat affectus, atq; id repetat diebus
septem continuis. Hoc enim auxilio pulmonum ulcera ad extimam cutem expelluntur excitatis ibi tuberculis: interna ve-
rò ulcera sanantur, & agri bellè revalescunt: haec tamen Cardanus. Qui tamen non parum cecutisse videtur in hac vipera
describenda namq; plurimum à vipera serpente distare scimus, quam Mediolanenses, ac ceteri Insulres Milort appel-
lant. Siquidem hac omnium innocentissima serpens est, & domibus plerumq; familiaris: illa verò contra, cum morsu fa-
cile de-

Viperæ
vino de-
lectantur

Viperarū
venatio
& earum
pastilli.

Viperarū
vires ad-
versus ta-
bem.

cile demorsos perimat. In Aegypto Aegyptios ipsos viperis, aliisq; serpentibus similiter atq; anguillis vicitare prodidit Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus. Quibus item eos vici traditum est, qui occidentales, noviterq; repertas Indias incolunt, perinde ac ii, qui orientales inhabitant, ut libro 7. auctor est Plinius. Cinis ex viperea pelle factus, capiti aspidue aspersus, alopecia seditates aufert. Viperæ totius cinis, quæ viva in vas novum fictile coniecta fuerit, additi succi scniculi uncii duabus, & thuris grumo, & deinde cooperculo argilla circumlito testâ, & in fornace combusta oculorum hypochises & caligines potenter tollit, collyriis adhibitus aut per se tantum. Viperæ caput linteolo colligatum & collo suspensum, magnum sanè amuletum est contra anginas, quippe non solum jam factas sanat, sed ne fiant, prohibet. Viperæ ita Latinis dicta Græcis ἐχιδνα vocatur: Arabibus Labane alsahay: Italis Vipera: Germanis Brandschlangen: Hispanis Bivora & Bicha: Gallis Vipères.

Aegyptiis
viperæ
cibus.

Nomina

10

Ἡρώδης ὁ πρῶτος.

SENECTA ANGUIUM.

CAP. XVII.

Senectus anguium in vino decocta dolori aurium, infusu; & dentium, collutione auxilio est. Addunt eam in medicamenta oculorum, sed præcipuè viperinam.

SENECTA ANGUIUM.

20



30

Nullus non cognita anguium Senecta: quippe quæ sæpe in campestribus inter saxa & stirpes inveniatur. De hac cum differeret Aristoteles lib. 9. de historia animal. cap. 17. sic inquit: Serpentes senectam exuunt tum vere cum egrediuntur, tum etiam autumno. Viperæ etiam exuit tam vere quàm autumno. Cum serpens exuere incipit, ab oculis primum detrabi ajunt, ita ut obocæari videatur iis, qui rem non intelligunt: tum caput exuitur: glabrum enim hoc omnium an-
40 requam reliquum corpus, apparet: atq; una serè nocte & die senectus tota exuitur à capite orsa ad caudam: & cute altera intus subnascente ipsa remouetur. Ut enim satus involucre secundarum, quo contentus prodierit, exuitur: sic ista senectute detracta renouantur. Porro de ea nil aliud memoria prodidit Galen lib. 11. de simplicium medicamentorum facultatibus, quàm quòd in aceto decocta dentium dolori medetur. Marcellus tamen empiricus anguium senectam vulsis commendat, si iis licio alligetur. Eandem quoq; pratulit, ad celiacos, in rosaceo prius decoctam in stanneo vase, & deinde ventri impositam. Ἡρώδης ὁ πρῶτος Græcè: Senecta anguium. Latine vocatur: Alchalba & Selach albaie, Arabicè: Spoglia delle Serpi, Italicè: Echlangenbalck/ Germanicè: Pelle de la culebra, Hispanicè.

Nomina

ἡ ἀκαλὴ
φύς. cum
urtica
simplici-
ter, non
cum ur-
tica ma-
rina ut
Ruellius,
Marcel-
lus &
Cornari-
us ver-
tunt. Ita
enim ha-
bent om-
nia ex-
plaria.

Ἀλγυαὶς θαλάσσιος καὶ ἐπὶ χερσαίος.

LEPUS MARINUS ET TERRESTRIS.

CAP. XVIII.

50

Lepus marinus loligini parvæ similis est: qui per se fetritus, aut cum a urtica marina illitus capillos levellit. Terrestris leporis inassatum cerebrum manditur, juvandis tremoribus, qui valetudine contracti sunt: affricu aut cibo facilem infantibus dentitionem præstat: exustum caput, & cum adipe ursino aut aceto illitum, alopeciarum inanitatibus medetur. Leporinum coagulum post triduum à concubitu potum, conceptum adimere, partusq; spem interciperi proditur: vulvæ & alvi fluorem sistit: comitiales juvat: contra venena ex aceto bibitur, præsertim adversus concretum lac & viperarum morsus. Sanguis ejus si calidus illinatur, vitia cutis in facie, vitiliginem lentiginisque sanat.

60

Marinus Lepus (ut nonnulli memorie prodidere) sic primum appellari capit, quòd terrestris Leporis faciem referat. Quapropter hæc de eo à Plinio prodantur lib. 9. cap. 43. Lepus, inquit, qui Indico mari nascitur, etiam tællu pestilens, vomitum, dissolutionemq; stomachi protinus creat. In nostro ossa informis, colore tantum lepori similis: in Indis & magnitudine, & pilo duriore tantum, nec vivus ibi capitur: hæc Plinius. Ex quibus facile conjici potest, Dioscoridem potius de nostratium marium Lepore intellexisse, quàm de iis, qui in Indico innatant pelago, argumento quòd parva loligini similem marium leporum reddiderit. At Aeliano marinus lepus cochleæ exenterata similis habetur, cui sanè is, cuius imaginem hic primo in loco ex Rondeletio appinximus, illi haud parum similis videtur. Hinc color in dorso est ex rufo nigrescens: caput habet deforme, cuius alterum cornu Libella, quam Græci ἰσχυράνα vocant, simile cernitur: alterum

Leporis
marini
confid.

verè

LEPUS MARINUS. I.



Leporis
marini
alterum
genus.

verò mutilum est, foramine apparente, per quod processum quendam carneum exerit ac retrahit aded, ut lingua ferè ima-
ginem exprimat. In horum medio oris rima visitur. Os habet in dorso perinde ac Sepia, sed tenuius ac tortuosum. Exerit
& cornicula duo mollia, cochlearum modo citra capitis sedem, sed breviora & rescissa. Attramento refertus est, ut loligi-
nes, quibus quoque internis visceribus omnibus similis habetur. Est & alterum genus grandius atque, exterius à praescripto diffe-
rens. Siquidem anteriore parte appendices duas habet latas carnosasque, ore in medio reposito. Inferius paulò cornicula

LEPUS MARINUS ALTER.



Lepus
marinus
venenū.

Leporis
terrestri
consider.

Vana o-
pinio le-
pores &
que gi-
gnere.

quoque, duo prominent, sed breviora quàm in altero & acutiora: osse hic in dorso caret, cetera Sepia similia sunt, atque, vi-
sceribus loliginem quoque, refert, quemadmodum attramento. Perniciosum valde Lepus marinus animal est, lethaliq, vene-
norefertus, adeò ut devoratus interimat, & conspectus à pregnantibus abortum faciat, ingenti excitata prius nausea.
Ideoq, rectè Plinius scripsit lib. 32. cap. 1. Lepus marinus venenum est, alius in potu, aut in cibo datus, alius etiam visus, si-
quidem gravis si omnino aspexerint feminam ab eo genere duntaxat, statim nausea & redundatione stomachi vitium
farentur, & deinde abortum faciunt. Cetera moriuntur totidem diebus, quot vixerit lepus, incertiq, temporis veneficium
id esse, autor est Lycinius Macer: hac ille. Tetrum & pisculentum odorem spirat marinus Lepus, nec alibi degit quàm in li-
mo & sordibus. Albertus auctor est, tertium Leporis marini genus reperiri, communi piscium magnitudine, sed capite le-
pori non ab simili, dorso rufescente, esculentum: tamen si à nonnullis explodatur, utpote quod & concoctu contumax sit, &
elephantiasim gignat. Dioscoridi marinus lepus praestat tantum illitus ad evellendos pilos. Plinio praestat quoque, ad stru-
mas si imponatur, & celeriter amoveatur. Idem (ut Marcellus empiricus est author) aut ejus sanguis cum oleo tritus,
evulsos pilos renasci prohibet. Verum si renascantur, adeò molles futuros dicit, ut si iterum evellantur, & posthac illinatur
locus, haudquaquam eos renascituros. Ceterum TERRESTRIS Lepus notissimum animal est, & cursu velocissimum.
Solum hoc inter cetera terra animalia, quae utring, dentata sunt (ut scriptum reliquit Aristoteles libro tertio de par-
tibus animalium, capite decimo quinto) & quae unicum tantum continent ventrem, coagulum habet. Sunt & lepo-
res albi, quales etiam Plinius libro 8. cap. 55. refert in alpiis inveniri. Hi hyberno tempore admodum albicantes in
summis vallis Anania montibus frequentes reperiuntur, eo praesertim tempore, quo ii nivibus altissimis vestiuntur: qui
tamen adeò magni non sunt, nec ita in cibum parati cum palato ineunt gratiam, ut qui in campestribus capiuntur. Ce-
terum candidi hyeme tantum conspiciuntur, nam liquefcente nive subrubescunt, quemadmodum & ceteri. Cujus rei
indicio sunt illi, qui cum non perfecte priores pilos exuerint, partim candidi, partim subnili visuntur. Lepores apertis
oculis dormiunt, nec (quae sua maxima timiditas est) alio quàm fuga se tutari sciunt. Huic soli pilos in bucca intus, &
sub pedibus esse adnotavit Aristoteles lib. 3. de historia animalium, cap. 12. Archelaus auctor est, cui etiam sententia ple-
riq,

rig, subscribunt, Leporibus utrumque sexum, & utramque gignendi vim inesse, & omnes lepores aquè gignere, ac si essent Hermaphroditi. Verum invaluit falsa hac opinio, quod crediderint homines tumores binos in inguinibus utriusque sexus prominentes, testiculos esse. Atqui hi testes non sunt (ut in Castore inferius dicemus) sed folliculi glandula faciem referentes, qui meatum intus habent obliquum, è quo liquor quidam effluit, perinde ac è Castoris folliculis, quos omnis superior &

LEPUS TERRESTRIS.



tas falso testiculos putavit. Hos quoque, quinimo & vulgus universum, hac in opinione confirmavit, quod viderint, Lepores, quanquam plurimi quotidie capiantur, etiam quodammodo secundius procreare. Veruntamen id non evenit, quoniam mares ipsi pariant, sed quia (teste Aristotele libro 6. de historia animalium, cap. 33.) supersatant, dum adhuc utero gerunt, similiterque statim à partu concipiunt, ita quod singulis mensibus generant. Sed sævus edunt non universos: interpositis enim diebus, quot restulerit, peragunt partum: unde tam innumera secunditas: nam etsi sævina lac nuper natis praebeat, nil tamen prohibet, quin eadem repetat coitum, & lactans gerensque utero, denuo concipiat sætum. Mares (ut loco citato idem prodidit Aristoteles) aversi coeunt cum sævina: retrò enim eis genitale membrum à natura datum est, ut apparet, dum urinam reddunt. Ex quo etiam multis persuasum est, mares sætum concipere, si-

quidem cognitu perquam difficile est, an mares, an sævina sint, ut etiam cuniculus contingit: qui cum secundius etiam proficiant, quam lepores, non ob id tamen mares unquam parere visi sunt, quamvis quolibet mense sævina pariant. Tra-

30 dit Plinius lib. 11. cap. 37. bina jecinora Leporibus inesse circa Briletum, & Thernem, & in Cherroneso ad Propontidem: at translatis aliò alterum statim absumi. Id quod ante ipsum memoria prodiderat Aristoteles libro 2. de historia animalium, cap. 17. Item libro 3. de partibus animalium, cap. 7. ubi hoc Leporum genus pluribus in locis reperiri testatur. Spe-

40 ciatim verò in Sycono agro, circiter Bolbam lacum. In Ithaca insula (ut idem tradidit libro 8. de historia animalium, cap. 28.) Lepores si aliunde illati dimittantur, vivere nequeunt: sed eodem reversi, unde maris introierint insulam, moriuntur. Leporina carnes in cibis esitate præter id quod agrè concoquuntur, crassum atrabiliosumque generant succum. Veruntamen (ut inquit Rasis lib. de 60. de animalibus) dysenterici conferunt, si assata sumantur. Fecur verò arefactum, jecinorosis utiliter exhibetur potandum. Integer cum pelle Lepus, operculato fictili impositus, in clibanoque igne succenso tamdiu dimissus, ut penitus exuratur, urina vitis mirifice opitulatur, adeo ut calculos ejiciat, tam in renibus quam in vesica genitos. Leporinum sel saccharo exceptum, oculorum argemae nubeculasque delet. Leporinum stercus (ut ajunt) mulieribus gestatum, conceptum impedit. Sed illud experientia compertum est, quod vulvis earum immis-

50 sum, & mensium defluxiones cohibet, & humentem exiccat uterum. Renes crudi, præsertim adhuc calentes devorati, auxiliantur mirifice calculosis, quin etiam cocti idem præstant. Pulmo autem frequenter adhibitus, attritus ex calciam-

60 mentis pedes sanat: ejusdem testiculi iis salubriter manduntur, qui vesica molestiis laborant. Leporinus sanguis adhuc calens, cum hordeacea farina decoctus ac devoratus, dysentericorum profluvium illico sistit. Ad idem quoque valet Leporinus finis potus. Idem atque pili, qui sub ventre habentur (ut Marcellus est auctor) cum melle decocti, & saba quantitate frequenter devorati, rupta intestina conglutinant, etiamsi latio in gracilioribus fuerit intestinis, verum assidue hoc medicamento utendum est, donec periculum omne tollatur. Pili leporini usti, sanguinem undequaque fluentem sistunt, peculiariter autem ad fluxum sanguinis narium ii valent, qui è ventre vivi Leporis evulsi fuerint, si in nares intromittantur. Sunt qui scribant, eos ventriculi doloribus affici nunquam, qui leporinum Talum secum portaverit: sed hac superstitione sunt, quanquam non omnino rejicienda. Animal λεγών θαλάσσιον Græcè, Lepus marinus Latinè nominatur: Ita-

Nomina. lis Lepre marino. Quod verò λεγών χερσαίον Græcè, Lepus terrestris Latinè dicitur: Arabicè Arneberri: Italicè Lepre terrestre: Germanicè Hase: Hispanicè Lieure: Gallicè item Lieure.

Lepori-
bus bina
jecinora.

Τρυγών θαλάσσιον.

PASTINACA MARINA.

CAP. XIX.

Marinæ Pastinacæ radius, qui ejus cauda enatus ad versus squamis reflectitur, dentium dolorem mitigat, nam eos frangit & evocat.

Pastinaca marina similiter atque Raja, & alia id genus, in piscium planorum, & cartilagineorum genere collocatur. Hanc Veneti Pesce colombo, Romani Bruco appellant. Duo ejus vidimus genera, alterum, cujus unus tantum aculeus caudæ inest: alterum, cui duo. Postremam hanc aquilam quidam esse censent. Verum cum Aquila uno tantum aculeo sit munita, nec parum capitis figura, & cauda longitudine à Pastinaca differat, piscatorum sententiis ego potius accesserim: quippe

Pastinacæ
piscis cō-
siderat.

PASTINACA MARINA.



Marcelli
ignora-
tio.

Pastinacæ
& ejus
radii vi-
res.

quippe qui dum Istriæ litora perlustrarem, Pastinacas nonnullas mihi obtulerunt, quarum alia unico, alia gemino aculeo armata spectabantur, has mares, illas femines appellantes. Sed mirum dictu, quam acriter feriant Pastinaca, Aculeos enim robustos admodum habent, utring, minuti dentibus, ipsiq, aduncis serræ in modum excisis, quorum venenato ictu piscatores graviter afficiuntur. Quam ob causam memoria prodidit Aëtius libr. 3. quod qui à marina Pastinaca percussus sunt, his vulneris locus manifeste apparet: Sequitur autem dolor pertinax, & totius corporis stupor: acutum enim, & firmum habet aculeum, quo vehementissima vi in altum impulsio nervi sauciantur: quapropter in aliquibus mors derepente totum convellens corpus comitatur. Idcirco non absq, forti ratione Plinius libr. 9. cap. 48. ita scriptum reliquit: Nullum usquam execrabilius venenum, quam radius super caudam eminens trigonis, quam nostri Pastinacam appellant, quincunciali magnitudine, arbores infusus radici necat. Arma ut telum perferat & ferri, & veneni malo. Latet piscis hic (ut & idem auctor est libro citato, cap. 42.) latrocinator ex occulto, transeuntes radios figens. Marcellus Vergilius, nimirum cupidus ineundi rationem, quâ Pastinaca radio uti posset, dentium doloribus sedandis, quippe quod in silentio involverit Dioscorides, fatetur, etsi diligenter, ut consentaneum est, inquisiverit, nunquam tamen apud antiquos scriptores eam se consecutum fuisse. Qua in re aperte declarat, sibi cum Plinio parum intercessisse consuetudinis: quandoquidem Plinius lib. 32. cap. 4. nos abunde docuerit modum, quo eo radio in dentium doloribus uti valeamus, sic inquit: Pastinaca quoq, radio scarificare gingivas, & in dentium dolore utilissimum. Conteritur is, & cum helleboro albo illitus, dentes sine vexatione extrahit. Quapropter mirari non licet, si quandoq, in plateis circulatores, dentium extractores cernimus, qui dentes absq, ferreâ instrumentis, nullo illato dolore extrahant. Idem radius equos persanat, qui subcutaneis vermibus exeduntur, si eo ulcera scarificentur, purgenturq, Pastinacæ jecur oleo incoctum, non modo hominum scabiem sanat, sed etiam brutorum. Piscis tamen esculentus est, si abscessus in universum cauda & capite, decoquatur.

Τεγγὺν βαλάνοςία ita Græcis, ut Pastinaca marina Latinis, pariter & Itali nuncupatur.

Σενία,

SEPIA.

CAP. XX.

SEPIÆ coctæ dum estur atramentum ægrè concoquitur: alvum mollit. Collyriis è testa factis convenienter genarum scabritie perfricantur. Ustum in sua testa, donec id, quod crustosum est, abscedat, postea tritum, expurgat vitilignes, furfures, dentes: & vitia cutis in facie: elotum in medicamenta oculorum addi solet: contra albugines, oculis jumentorum efficaciter inspiratur: prterygia oculorum absumit, cum sale tritum & injectum.


Sepiæ
consider.

SEPIA in omnibus Italia piscariis, proprium retinent nomen, venalesq, habentur, in iis inquam, in quibus marini veniunt pisces. Ha polypis similes sunt, præterquam quod hi innumeris pedibus excellunt, illa verò majore corporis mole. Est Sepia in dorso os candidum, superiori parte durum ac leve: inferiori autem fungosa quadam medulla repletum, quæ & leviter aspera, & ligni modo frequentibus venis distincta visitur. Expetuntur Sepiæ ossa aurisabrî: facile enim in partem illam fungosam annulorum, cæterarumq, rerum formas imprimas, quæ met allis igne colliquatis expleri solent. Sepia suo etiam astu non vacat: ubi enim piscantem sensere, effuso atramento, quod pro sanguine huius est, infusata aqua absconduntur. Id quod etiam faciunt advenientibus voracioribus piscibus. Pariunt (ut prodidit Plinius libr. 9. cap. 51.) omnibus mensibus, plerumq, autem in terreno inter harundines, aut sicubi enata fuerit alga: neq, huius timatu longior est vita. Id quod de polypis retulit Aristoteles lib. 9. de historia animalium, cap. 37. Quia in re dixerim, quod si historia, quam tradit Plinius libr. 9. cap. 30. de illo tam ingenti Polypo, cujus caput Lucullo ostensum fuisse narrat, dolii magnitudine amphorarum quindecim capax: atq, pedes, quos vix utroq, brachio complecti esset, longitudine pedum triginta, vera perhibetur, nullum sequetur absurdum, quin polypi & denis, & his denis annis vivere possint. Quod etiam tum sepis, tum loliginibus evenire posse non dubitaverim, præsertim cum eodem loco scripserit Plinius, sepias, loliginesq, ejusdem polypi magnitudine in Hispanico litore undis expulsa esse repertas. Sepia atramento tantam vim esse Anaxilæus est auctor, ut eo in lucernis accensis addito, cæteris ablatis luminibus, homines circumstantes Aethiopes videantur. Hic an jure, vel injuria me redarguat Gesnerus, doctus viris relinquo judicandum, cum ego sensum, non verba Anaxilæi referam. Sepiæ, polypi, loligines, & cætera id genus mollia difficillimè concoquuntur, quam ab causam antea cadi verberibus solent, quam

Gesnerus
notatur.

exco-


S E P I A.



excoquantur. Quamquam Athenaeus Sepias aqua elixas ventriculo utiles existimaverit, dixeritq; eas sanguinem attenuare, atq; haemorrhoides curare. Caterum (ut Galenus placet lib. 3. de alimentorum facultatibus) dura sunt carnis, aegre conficiuntur, & succi crudi plurimum gignunt. Attamen iis quibus probe concoquantur, non parum corpori praebent alimentum. Quin & ejus testa exusta (ut libro II. simplicium medicamentorum, idem scriptum reliquit) ad vitiliginem,

Sepiarum
facultas.

LOLIGO SIVE CALAMARO.



lentes, & scabiem usum utilem praestat: mista praeterea fossili sale, in oculis existentes ungues eliquat, & antequam uratur frictione dentibus splendorem affert, & illitione ulcera desiccant. Sepia ova in cibis sumpta urinam curare Plinius commemorat, renumq; lentorem dissolvere. Sepis, nucibus & allio paratis quidam vescuntur, ut salaciores in venerem prorum-
50 pant. Quae Lynx Graecis: Sepia item Latinis & Italis appellatur: Arabibus Sarathan & Sarthan: Germanis Blackfisch: Nominibus Hispanis Siba: Gallis Seche.

Τεφύλα.

MULLUS PISCIS.

CAP. XXI.

Mullorum assiduo cibo aciem oculorum hebetari constat. Is marini draconis, aranei ac scorpionis moribus medetur, si crudus atque dissectus admoveatur.

60 Mullus piscis Latinis olim sic dictus, relicta mulli appellatione, hodie Graecorum more Latine etiam Trigla, & Italicè Mulli cō-
Trigilia nominatur. Duo ejus habentur genera (ut diligenter observavit Salvianus) colore & magnitudine differ-
rentia. Major qui pedali longitudine saepe visitur, rubro vestitur colore, aureis lineis a capite ad caudam ductis. Minor
purpureus est, maculis quibusdam flavis, liventibusq; apparentibus, nec palmarem longitudinem excedit. *Ambo barbati
sunt, ideoq; a Venetis appellantur Barboni. Antiquis is magno expetebatur pretio, praecipue ganeonibus: cum ex fide
dignus constet monumentis, Mullos saepenumero a privatis etiam hominibus argenti librā singulos vanisse, tanta cum eo-
rum jecore, & capite gratia intercesserat gula. Quamobrem Galenus lib. 3. de alimentorum facultatibus de eo haec me-
moriam prodidit. Mulli jecur a gulosis mirabilem in modum voluptatis nomine commendatur. Quidam vero ipsum ne per
se quidem solum edendum censent, sed garelao, quod vocant, in vase preparato, cum pauxillo vini viscus in eo tantisper
disterunt, dum ex universa ejus substantia, & preparato liquamine unus ac similis succus, quantum sensu posui juu-
tare, factus esse videatur, in quo intincta mulli carne vescuntur. At mihi profecto nequaquam tanta suavitatis visum est,

Mulli fa-
cultas ex
Gal.